DISSERTATIO PATHOLOGICO THERAPEVTICA
INAVGVRALIS

DE

FEBRE LENTA POST FEBREM CONTINVAM ACVTAM SIMPLICEM VEL CONTINVAM REMITTENTEM SEQVENTE RITE SANANDA

QVAM
AVCTORITATE ET CONSENSV
ILLVSTRIS AC GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRÆSIDE

PHILIPPO CONRADO FABRICIO

SERENISS. DVC. BRVNOVIC. ET LVNEBVRG. A CONSILIIS AVLICIS MED. D. ET PROFESSORE PVBLIC. PRIM. SOCIETAT. MEDIC. HELMSTAD. PRÆSIDE ACADEM. CÆSAR. NATVR. CVRIOS. COLLEGA FACVLTAT. MEDIC.
H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE HONORIBVS DOCTORALIBVS LEGITIME OBTINENDIS

IN IVLEO MAIORI

D. XXIII. DECEMBR. ANN. MDCCLXIII.

HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS CONSVETIS
PVBLICE DEFENDET

FRIDERICVS CHRISTIANVS REVPSCH
ANHALTINO-BERNBVRGICVS.

HELMSTADII
LITTERIS IOANNIS DRIMBORNII.

VIRIS

PERILLVSTRIBVS MAGNIFICIS AMPLISSIMIS

EXPERIENTISSIMIS

DOMINO

DIRECTORI
DECANO

CETERISQVE COLLEGII MEDICI

DVCALIS BRVNOVICENSIS

MEMBRIS

SPECTATISSIMIS

PATRONIS ET FAVTORIBVS

SVIS

SVMME COLENDIS ET AETERNVM

DEVENERANDIS

DISSERTATIONEM

HANCCE INAVGVRALEM

IN PERENNIS OBSERVANTIAE

TESSERAM

SACRAM ESSE IVBET

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS

FRIDERICVS CHRISTIANVS REVPSCH.

DISSERTATIO PATHOLOGICO THERAPEVTICA INAVGVRALIS

DE

FEBRE LENTA POST FEBREM CONTINVAM ACVTAM SIMPLICEM VEL CONTINVAM REMITTENTEM SEQVENTE RITE SANANDA.

§. I.

Febres in univerſum morbos frequentiſſimos eſſe, & modo idiopathice valetudinem humanam convellere, modo aliis morbis tanquam ſymptoma accedere, ita ut ſi apoplexia acutiſſima, ſyncope, nec non læſiones externæ graviores, ſubito perniciem inducentes, excipiantur, pauciſſimi ægrorum ſint, qui non ante mortem motus febriles experiantur, ſint illi vel ſola illa peripnevmonia emortualis BOERHAVIO dicta, res vulgo notiſſima eſt. Quantopere vero illæ indole, decurſu typoque, quem ſervant, nec non ſymptomatibus complicatis, ſanandi methodo & exitu varient, nemini pariter Medicorum ignotum eſt, vel quoque præſtantiſſimorum de febribus Scri-

ptorum SYDENHAMI a), MORTONI b), TORTI c), WERLHOFII d), DE GORTER e), SAUVAGII f), aliorumque evolutione facile perſpicitur.

§. II.

Nec ratio huius rei in occulto latet. Quum enim quidquid partes corporis humani ſenſibiles gravi aliqua ratione afficit, ſpaſmum illum univerſalem producere valeat, vi cuius ſanguis in vaſis interioribus præcipue arterioſis nunc diutius, nunc breviori temporis ſpatio retardatur & accumulatur, donec cor ſumme irritatum hanc reſiſtentiam, ipſi in ſanguine ex arteriis maioribus in minores propellendo creatam, ſuperet, ſanguinemque nunc iuſto maiori cum impetu in orbem agat, utpote in quo eſſentia febris conſiſtit; harum vero cauſſarum dentur innumeræ ac diverſiſſimæ, varioque modo in has vel illas corporis humani partes agentes, non mirum videri poterit, quod tam multiplices huius morbi dentur ſpecies, ut de aliis huius rei rationibus e. gr. climate ac ſitu locorum, nec non aquarum indole & anni temporibus, qui-

a) Oper. omn. Medic. fere per totum.

b) Pyretologia, in Operibus eius contenta.

c) Therapeutic. ſpecial. ad febr. periodic. pernicioſ. qui in ligno ſuo ſeu arbore febrium pag. 423. varias febrium ſpecies & ſubdiviſiones ingenioſe proponit.

d) Obſervation. de febrib.

e) Prax. Med. Tom. I. §. 191. & ſeqq.

f) Patholog. method. pag. 210. & ſeqq.

quibus hic morbus valetudinem humanam adfligit, insigniter variantibus, temperie nativa vitæque genere hominum diverso, mutationibus aëris & constitutionibus epidemicis insolitis & abstrusis &c. nihil adiiciamus.

§. III.

Quod vero hæ febres vel sint acutæ, breviori temporis spatio stadium suum decurrentes, vel diuturniores & chronicæ, & quod has posteriores inter tam lentæ simplices g) in quibus caussa morbi materialis unice in partibus fluidis corporis humani hæret, partibus solidis adhuc salvis, quam hecticæ, a scirrho vel ulcere visceris alicuius nobilioris productæ, præcipuum quendam locum occupent, nemini Medicorum pariter incognitum est, æque ac, quod hæ lentæ & hecticæ modo alias febres præcedentes, continuas, vel intermittentes quoque, præcipue si epidemicæ, anomalæ, vel fluxu alvi suberuento stipatæ h) aut prava ægri diæta ac regimine, per-

 ver-

g) Inter merita Friderici HOFMANNI in scientiam medicam non postremum est, quod in Medicin. rational. systemat. Tom. IV. Sect. II. Cap. XIII. iustos limites, qui inter febres lentas simplices & hecticas veras intercedunt, primus indicaverit, & genuinam earum diagnosin tradiderit, quum veteres Medici non solum e. gr. HIPPOCRATES, ALEXANDER TRALLIANVS aliique, sed & multi recentiorum adhuc has febres confundant, & unimodas referant.

h) FR. TORTI Therap. Special. circ. febr. periodic. pernicios. Libr.

verſave medela corruptæ ſint, preſſo pede inſequantur, modo ex aliis cauſſis oriantur.

§. IV.

Inter febres vero acutas, experientia teſte, nullæ facilius in febrem lentam abeunt, quam illæ, quæ inſignem quandam acrimoniam humorum pro fundamento habent, ut: febres catarrhales graviores, vel malignæ plane, febres pnevmonicæ, ardentes bilioſæ, dyſentericæ, ſtomachicæ & inteſtinales, vulgo meſentericæ dictæ, phrenesis. Non minus in febrem lentam inclinant febres ex typo continuæ & intermittentis compoſitæ, ſeu continuæ inſigniter remittentes, & ſtato tempore iterum exacerbatæ, utpote quarum indoles ſatis pertinax per ſe, & ad diuturnitatem prona eſt. Et omnes hæ febres eo facilius in lentas abeunt, ſi vel vires vitales exhauſtæ materiam morbificam a parte adhuc ſana humorum non ſatis ſeparare, & per ſufficientem evacuationem criticam e corpore penitus eiicere non valuerunt; vel evacuatio hæc ſalutaris imminens pravo ægroti regimine turbata fuit; vel Medicus ipſe medela nimis calida aut remediis mere refrigerantibus morbum corrupit, priori caſu æſtum febrilem & attritum humorum eorumque acrimoniam augens, poſteriori autem errore motus febriles, ad coctionem & eliminationem materiæ morbi neceſſarios, intempeſtive

Libr. III. Cap. I. p. 174. Idem faciunt intermittentes duplices & ſemitertianæ, in hac regione non raræ.

peſtive frangens & debilitans, adeoque febrem priorem potius ſupprimens, quam ſanans. Idem refrigerantium medicamentorum nimius & intempeſtivus uſus in cauſſa eſt, quod eiusmodi febres lentæ etiam acutas exanthematicas & purpuram miliarem ſpeciatim nonnunquam inſequantur, de cuius ſpecie alba Fridericus HOFMANNVS i) iam experientia conſentiente annotavit, quod illa uſum nitri non niſi circumſpectum admittat.

§. V.

Subiecta, in quibus hic tranſitus febris acutæ in lentam facilius accidit, ſunt: *Viri* moliminibus *hæmorrhoidum* obnoxii, & *feminæ*, in quibus inſignis adeſt *menſium* anomalia, vel defectus, & ante tempus ceſſatio. Prius enim incommodum tantum non ſemper inæqualem ſanguinis circuitum eiusdemque difficilem per vaſa infimi ventris præcipue & viſcera, quæ cum vena portarum communicant, tranſitum cum ſpiſſitudine nimia & impuritate eius, & reliquorum humorum pro cauſſa habere, vel eadem efficere, & reliquas in ſexu infirmiori ægritudines cum eisdem humorum vitiis ſanguinisque abundantia nunquam non coniungi, ex primis Pathologiæ principiis conſtat, unde perfecta febris acutæ in eiusmodi hominibus ſanatio neceſſario difficilior eſſe debet. *Viri* malo *hypochondriaco*, & feminæ pathematibus *hyſteri-*

i) Medicin. ration. ſyſtem. Tom. IV. Sect. I. Cap. IX. pag. 213.

cis laborantes, utpote qui morbi vitiis sanitatis antea commemoratis non solum plerumque superstructi sunt, verum etiam propter insignem nervorum a spasmis debilitatorum infirmitatem & sensibilitatem, animique anxii & tristia quæque metuentis abiectionem, decursum febris acutæ præcedentis inevitabili fere eventu turbant, lentæque insequenti viam eo efficacius sternunt, quo sæpius vel sola illa, quæ in hypochondriacis & hystericis accidit, succi nervorum per spasmos nimia dissipatio & consumtio febrem quandam lentam nervinam k) inducere in nonnullis regionibus solet. Feminæ *fluore albo* laborantes & omnes reliquæ *cachecticæ*, vel sexus virilis quoque homines *cachexia* correpti, in quibus partim propter viscidítatem & acrimoniam humorum & pituitæ abundantiam, partim vero & potiori quidem ratione propter tonum & robur partium solidarum labefactatum, sanguinisque tardiorem per hepar præcipue transitum, ac plerasque obinde se- & excretiones naturales turbatas, crises salutares & perfectæ febrium acutarum semper rariores observantur, adeo ut non simplices lentæ febres tantum, sed variæ viscerum obstructiones & veræ hecticæ quoque interdum eiusmodi ægros expectent. *Cholerici*

k) Optime hanc febrem descripsit HVXHAM de febrib. ab indol. sanguin. dependent. Cap. VII. quæ licet apud nos non tam frequens, quam in Anglia sit, in uno & altero huius regionis ægroto tamen itidem subinde observatur.

rici, *macilenti* & ad *iram* proni homines, in quibus per ſe iam actio ſolidorum in fluida fortior, ſanguisque obinde acrior & denſior, gradusque caloris nativi maior eſt, principio ſanguinis aquoſo & blanda illa lympha gliſchra, quæ acrimoniam humorum temperare, & nutritionem partium ſolidarum, reſtitutionemque particularum abraſarum perficere debet, eo parciori. Cauſſam illud ſuppeditat, cur tales ægroti, febre acuta correpti, non ſolum æſtu maiore torreantur, ſed etiam reliqua ſymptomata in eis graviora fiant, iidemque bonum corporis habitum tardius recuperent, æſtu quodam volatico per multum temporis ſæpe remanente, vel perfecta febre lenta, aut hectica ipſa, inſequente. Abuſui *ſpirituoſorum* deditì, a quibus iam ante febrem acutam ingruentem ſolidis corporis partibus nimia ſiccitas, rigiditas & induratio, fluidis vero varia coagula & particulæ igneæ & acres copioſæ inducta fuerunt, ſi de reliquo viſcera in talibus hominibus adhuc ſalva, & vaſa ſanguifera nullis adhuc concrementis polypoſis obſtructa exiſtent, utpote quo caſu alias vel Hecticam & hydropem Aſcitem, vel ſubitaneum viſcerum ſphacelum antecedenti morbo finem imponere, ab experientia conſtat. Senes in *viridi & cruda ſenectute* conſtituti, qui ſi viſcera adhuc integra ſunt, febres acutas interdum ſatis feliciter exantlant, ſed propter vigorem Naturæ annis fractum, ac numerum pororum cutaneorum exhalantium imminutum, ſanguinemque denſiorem, magis lenta ſymptomatum remiſſione, ſeu

Lyſi,

Lyſi, quam Criſi ſubitanea, denique priſtinam ſalutem recuperant, non raro vero in febrem lentam veram incidunt, Medico multum negotii faceſſentem. Nec ipſam ætatem infantilem puerilemque ab eiusmodi febribus lentis, acutas inſequentibus, immunem eſſe, quantopere alias in hac ætatis periodo principium aqueum in maſſa ſanguinea prædominium habeat, docet experientia, qua teſtante poſt febres verminoſas præcipue, quæ optimo iure putridæ vocantur, & totam maſſam humorum reliquiis acribus vermium putreſcentium inquinant, eiusmodi febres lentæ non raro ſequuntur, præcipue ſi aliquid rhachitici concurrat.

§. VI.

Tempus anni, quo febres acutæ quam maxime in lentas pronæ ſunt, eſt præcipue *æſtas* adultior, ſicca initio, ſed deinde crebrioribus & continuis fere pluviis inſignis, & *autumnus*, primis tamen veris adhuc frigidi menſibus non penitus excluſis. A calore enim æſtivo nimio partes aqueæ humorum ad diluendas & temperandas eorum partes terreas & ſalinas ac oleoſas ipſas neceſſariæ, crebrioribus & nimiis ſudoribus, ſano de reliquo adhuc corpore, magnam partem conſumuntur, adeoque id, quod in vaſis ſanguiferis remanet, nimis ſpiſſum & acre redditur, cui vitio contracto ſi nunc coelum pluvioſum, humidoque frigidum ſuperveniat, ac propter tranſpirationem ſuppreſſam febris acuta oriatur, illius

perfe-

perfecta ſanatio eo rarius ſuccedat neceſſe eſt, quo magis materia virium vitalium ipſa, quæ eſt bonum fluidum nerveum, nimiis corporis a calore æſtivo antecedente exhalationibus peſſundata & imminuta fuit, & quo difficilior ſub nubila aëris conſtitutione eſt pororum cutaneorum reſeratio, ſufficientisque ſudoris critici promotio, id quod tempore autumnali pari modo ſeſe habet. Primo veris initio vero, ſi febres pnevmonicas excipiamus, reliquæ febres acutæ quidem ſunt rariores, ſed ſi oriuntur, eo facilius tunc quoque lentæ evadere poſſunt, quo magis hyeme prægreſſa corpus ægroti crebrioribus refrigerationibus expoſitum fuit, vel is vita nimis ſedentaria, aliisque in uſu 6. rerum non naturalium commiſſis erroribus, venæ ſectione vernali & conſuetis fortaſſe medicamentis evacuantibus omiſſis, ſibi humores tam quantitate, quam qualitate peccantes adquiſivit.

§. VII.

Signa, quæ febrium acutarum in lentas tranſitum vel imminentem, vel factum, annunciant, ſunt præcipua: quando die morbi indice ultimo, qui utplurimum undecimus, vel decimus ſeptimus eſt, urina conſueta ſigna coctionis, ſeu materiæ morbificæ ſubactionis, & a ſanguine aliisque humoribus, adhuc ſanis, ſeparationis non exhibet, nec illa die critico ſedimentum bonum deponit, ſed vel clara, rubra & tenuis manet, vel inæqualiter tan-

tum turbatur, & nubem farinoſam oſtendit, & in febribus catarrhalibus ſpeciatim, quando pellicula livido lacteſcens, quæ vitrum urinale in hoc morbo intus obducere ſolet, poſt diem 14. adhuc obſervatur. Si poſtea vel 20. die nulla notabilis, copioſa, & cum euphoria coniuncta evacuatio per aliquod organum corporis excretorium contingit, ſed ad ſummum odioſæ illæ Medicis clinicis ſudatiunculæ particulares, vel aliæ excretiones inſufficientes & nimis parcæ, accidunt. Quando die morbi 14. vel 20. impetus febris acutæ quidem remittit, ſed tamen lenior æſtus febrilis remanet, isque per vices & poſt paſtum præcipue, a novo chylo ad ſanguinem tranſgreſſo & cor ac ſyſtema vaſorum magis ſtimulante, exacerbatur, nullis tamen aliis ſignis veræ febris hecticæ, iam factæ, concurrentibus. Quando in hypochondriacis & hyſtericis ſpaſmi & dolores, durante febre acuta, propter debilitatem virium ac nervorum flacciditatem & inſenſilitatem quaſi ſopiti, nunc recrudeſcunt, ſimulque æſtu febrili perpetuo, utut leni, & ſubinde exacerbato, ſtipantur. Quando nec ſomnus, nec appetentia ciborum, nec vires muſculares, priſtinusque habitus corporis, priori licet febre finita, ſatis redeunt, ſed ægri inſigniter macilenti fiunt, ita tamen, ut nec temporum collapſus, nec oculorum, propter pinguedinem, bulbos eorum fulcientem, ab æſtu febrili depaſcente nimis conſumtam, inſueta concavitas, aliæve faciei Hippocraticæ notæ, neque vero vel oedemata pedum, aut inſignis reſpirationis difficultas

cum

cum tuſſi ſive ſicca, ſive purulenta, obſerventur, ægroto ſimul ſatis profunde & ſine dolore inſpirare valente, abdomineque, manibus Medici explorato, nullam viſcerum contentorum duritiem, vel dolorem prodente, facie ægri potius adhuc naturali ſimili, cum viribus corporis non penitus proſtratis, & animo non penitus abiecto. Si nullus in volis manuum & plantis pedum ardor ſiccus obſervetur, ſed ægri ad ſudores potius proclives ſint, ita tamen, ut nulla nimia virium eos inſequatur debilitas, multo minus autem concurrat diarrhoea colliquativa, vel capillorum profluvium. Si interea in ægro ſemper adhuc deprehendatur aliqua pulſus præternaturalis celeritas, lingua nondum ſatis humida & pura, ſed in dorſo muco albo, vel flaveſcente, obducta, cum faucium ariditate & ſiticuloſitate, utpote quæ omnia aliquid adhuc peregrinum & morboſum in maſſa ſanguinea produnt, motus febriles penitus ceſſare non permittens, & corporis debitam nutritionem, ac ſe-& excretionum naturalium in integrum reſtitutionem prohibens. Quando vero poſt febres ex continua & intermittente compoſitas, ſeu continuas remittentes febris lenta exorta eſt, ſignis antecedentibus adhuc hoc accedit, quod impetu æſtus febrilis nunc quidem inſigniter fracto, tamen quotidie vel tertio aut quarto die, hora conſueta eius aliqualem ſentiat æger exacerbationem.

§. VIII.

Quod ad prognoſin attinet, in iunioribus, qui bo-

mum Naturæ robur, & viſcera perfecte ſana habent, hæc febris, Medico ſuarum rerum intelligenti & perito, ſanatu non adeo difficilis eſt, & firmiorem interdum ſanitatem pediſſequam habet. In illis vero, qui vires vitales variis diætæ erroribus aliave ratione exhauſerunt, pertinacior, & præter ſpem interdum funeſta eſt, ac in valetudinariis, qui tuberculis ſic dictis crudis pulmonum l) vel alius viſceris infarctu latente laborant, in phthiſin pulmonalem, vel hecticam abdominalem, ac hydropem aſcitem, & in ſenibus decrepitis, in maraſmum abit. Æque difficulter hic morbus ſanatur, ſi inſignis depravatio ſcorbutica concurrat, vel plane aliquid venerei ſubſit m) utpote quæ humorum vitia, ob corruptelam lymphæ nutritiæ, perpetuasque partium ſenſibilium, ab acri morboſo

l) Eiusmodi labem occultam pulmonum haud raro cauſſam tam febrium intermittentium ſimplicium, præcipue tertianarum, earumque valde anomalarum, quam enm continuis compoſitarum, ſeu continuarum remittentium eſſe, febremque lentam vel hecticam ipſam inducere, ab experientia conſtat. Potiora vero eius, vita ægri adhuc durante, indicia ſunt: quando primis viis licet debite purgatis, aliisque neceſſariis medicamentis corrigentibus, & per diaphoreſin & diureſin evacuantibus præmiſſis, & optimo regimine obſervato, tam promtus alias effectus corticis Peruviani exhibiti emanet, febre vel plane non cedente, vel brevi revertente, donec tuſſis purulenta, cum oedemate pedum accedens, hoſtem vitæ latentem magis manifeſtet.

m) ASTRUC de morb. vener. pag. 335. & 362.

boſo irritationes nutritionem corporis valde impedire, & interdum eius conſumtionem vere hecticam excitare, notum eſt. Id quod eo facilius continget, ſi materia peccans virulenta, contagio acquiſita, altius iam in corpus ægri penetravit, ipſisque ſolidis partibus varias exulcerationes induxit. Interdum quoque medela nimis calida adhibita, & inflammatione viſcerum inde exorta, hæc febris lenta priſtinum acutæ typum rurſus aſſumit, & ægrum ſphacelo interno necat.

§. IX.

In ſanatione talis febris lentæ, ex acuta, vel continua remittente, ortæ, præcipuæ indicationes medendi in nulla alia re conſiſtere queunt, quam ut: I. materia morbifica vel in primis viis, vel in ipſa maſſa ſauguinis adhuc ſuperſtes evacuetur, ceu quo neglecto. omnia reliqua fruſtranea ſunt, & morbus vel palliative tantum ſanatur, vel deterior redditur. II. acrimonia humorum in univerſum mitiganda eſt, quam in talibus febribus inſignem eſſe, plura comprobant, præcipue vero æſtus ille acris & mordax, qui ægros nunquam penitus deſerit, & dolores fere oſteocopos artuum in quibusdam inducit. Quia quoque, quo diutius huic febri progreſſus permittitur, eo magis illa ſpiſſitudinem & acrimoniam humorum auget, utile & hic quam maxime neceſſarium eorum principium aqueum nimiis ſudoribus diſſipat, ac maiori indies ipſius fluidi nervei penuria fibrarumque

motricium laxitate & atonia inducta, vires ægrorum denique penitus prosternit, visceribusque ipsis grave periculum minatur, III. eaque præcipua indicatio erit, præmissis præmittendis, coniunctisque coniungendis, motus febriles, quam primum illud fieri poterit, compescere, utpote qui in hac specie febris semper noxii sunt, & ægrum consumtioni hecticæ præparant, tantum abest, ut ad modum febris alicuius intermittentis simplicis & benignæ bono tantum regimine & conveniente diæta observata, vel etiam sola ægri abstinentia & quiete, sponte cessare, & ægro novum vigorem relinquere soleant. Quia vero, hac febre licet perfecte sanata, multum tamen temporis utplurimum effluit, donec ægri pristinum robur recuperent, utpote in quo frangendo talem lèntum æstum febrilem multas acutas febres e. gr. pnevmonicas vincere, notum est, post quas rite sanatas, licet vehementissimæ fuerint, ægri, præcipue iuniores, citissime vires amissas recuperant, sæpeque intra octiduum ad pristinam orthostadiam redeunt, eo magis necessarium est IV. præstantioribus remediis analepticis non minus, quam congrua diæta, tam durante adhuc hac febre, quam ea finita, Naturam in reparandis viribus iuvare, quo magis illæ a morbo antecedente iam imminutæ fuerunt, & quo facilior alias febri lentæ, vix sanatæ, ad reditum foret via. V. symptomatibus molestioribus & urgentibus, quæ forsan concurrunt, est resistendum.

§. X.

§. X.

Ad primæ indicationi ſatisfaciendum medicamentis ex Manna, Tamarindis & foliis Sennæ, addito tartaro ſolubili, cremoreve vel cryſtallis tartari correctis, & in forma infuſi ad ſufficientem operationem usque exhibitis, vel etiam ſalibus laxantibus amaris, ac rhabarbaro, in ſubſtantia, vel in extracto aut Tinctura, ante nominatis medicaminibus ſubſtitutis, hic quoque nihil præſtantius eſt, quum non ſolum cruditates, in primis viis adhuc ſuperſtites, egregie reſolvant, & tuta ratione expellant, ſed etiam ad ipſam maſſam ſanguinis per vaſa ventriculi & inteſtinorum reſorbentia transgreſſa eandem corrigant, blandoque ſimul ſtimulo, vel levi adſtrictione, fibris motricibus inducta, circulum ſanguinis omnesque ſe- & excretiones humorum utilium, vel noxiorum, inde dependentes, vegetiores & expeditiores reddant, in quorum vero ſelectu, doſi, ac modo adhibendi ſemper ad peculiares, in quovis ægroto morbi circumſtantias, attendendum eſt. Licet quoque in febre eiusmodi lenta, poſt febrem bilioſam & in cholericis ac iracundis, vel etiam poſt dyſenteriam orta, primo intuitu haud incongruum videatur, antea nominatis laxantibus radicem Ipecacuanhæ in refracta doſi addere, ſicque impuritates bilioſas & acres, tam in ventriculo, quam in inteſtino duodeno circa 3. eius curvaturas n) & in loco confluxus bilis & liquoris pancrea-

n) Ex profeſſo de his egit clar. L. CLAUSEN Diſſert. de inteſtini duodeni ſitu & nexu Lipſ. Ann. 1757. easque 2. Iconibus exhibuit.

creatici cum chymo superstites, per superiora & inferiora eliminare, qualia remedia emeto-catharctica alias tam in febribus intermittentibus simplicibus, quam in continuis remittentibus sæpe præstantissima sunt: insignis tamen ægrorum in febre lenta languor, statusque viscerum dubius potiori ratione suadent, a vehementi tali motu inducendo, qualem emesis exposcit, potius abstinere, si vel maxime indicia cruditatum, in ventriculo adhuc præsentium, se prodant. Idem eo magis observari debet, si æger forsan scrophulis, vel aliarum glandularum, sub cute propius sitarum, tumoribus scirrhosis laboret, adeoque de glandulis internis quoque infarctis, vel induratis, iustus metus concurrat, utpote in quibus mortem sæpe citissime post emesin excitatam sequi, notum est. In hypochondriacis vero & hystericis ægris, vel quibus prima febris ab hæmorrhoidibus mensibusve suppressis, aut irregularibus, inducta, vel tamen exacerbata fuit, clysteres demulcentes simul præstantissimi usus sunt, pro varietate circumstantiarum aliquoties repetiti, præsertim si obstructio alvi concurrat. Illis enim non solum scybala duriora, in intestino coëco vel colo latentia, & irritando febrem resuscitantia educuntur, sed etiam cum illi totum intestinorum crassorum tractum & viscera vicina blando suo calore foveant, stricturæ spasmodicæ tum harum, tum reliquarum partium optime relaxantur, liberior sanguinis per vasa horum viscerum progressus promovetur, idemque simul a partibus superioribus corporis

poris ſalutari effectu revocatur, quam ob rem eiusmodi clyſmata in ipſis quoque acutis febribus o) non minus, quam in variis morbis chronicis a præſtantiſſimis Medicis tantopere celebrantur, & inſigne ſanationis earum momentum conficiunt.

§. XI.

Si vero materia peccans in maſſa ſanguinea ſolum hæreat, id quod cognoſcitur, quando nulla oppreſſio epigaſtrii, nullus ſapor oris amarus, vel alius peregrinus, nulli ructus, nulla tormina ventris, nulla alvi obſtructio nullaque flatuum moleſtia ægrum adfligunt, tunc præter diætam diluentem & humectantem vix aliud præſtantius reperiri poterit, ad ſtatum ſanitatis collapſum ægri erigendum, quam ſi is per 14. dies vel 3. hebdomades ſerum lactis caprini, vel bubuli, quotidie ad libram unam vel 2. calide bibat, ſimpliciſſima ratione ex lacte per additionem cremoris tartari vel alius acidi, ſubſequente percolatione, parati, nec incongrua illa abſorbentium additione, vel omnis ſeri ad ſiccitatem usque evaporatione & remanentis maſſæ ſolidæ in nova aqua ſolutione, ut credunt,

o) B. KRÜGER Diſſertat. de uſu enematum in febribus acutis Helmſtad. Ann. 1757. clar. G. B. FABER vlterior. expoſition. novæ methodi Kaempfianæ curandi morbos chronicos inveteratos, præcipue malum hypochondriacum Tubing. 1755.

dunt, edulcati, vel potius blanda sua aciditate, in qua præcipua eius virtus medicata consistit, privati. Ab hoc enim vulgari viso, sed præstantissimo remedio diætetico clar. Præses huius Dissertationis quoque tum alibi, tum in hac præcipue regione, ubi discrasiæ humorum scorbuticæ indicia in tam multis hominibus occurrunt, vel in talibus febribus lentis, quibus secundum omnem probabilitatem iam aliquid hectici inerat, tam egregios sæpe effectus vidit, acrimonia humorum biliosorum & alcalinorum per illud optime correcta, spisso vero soluto, ac tenui sed convenientissimo nutrimento, quod simul ægris præbet, viribus eorum sensim restitutis, ut illud inter præcipua apparatus sui practici præsidia numeret. Si vero tempus anni permittat, ut succi recens expressi herbarum refrigerantium, aperientium, vel leniter antiscorbuticarum cum sero lactis coniungi, & per sufficiens temporis spatium continuato usu ægris propinari queant, effectus eo salubrior expectari poterit, quo magis virtus saponacea abstersiva, quæ talibus succis plantarum recentibus inest, obstructioni viscerum metuendæ obviam it, & transitum febris lentæ simplicis in hecticam prohibet. Si qui vero sint ægroti, qui ob insignem ventriculi & intestinorum atoniam tantam principii aquosi, quo hoc remedium abundat, copiam non ferant, & quibus illud obinde vel alvi lubricitatem, vel quod æque frequenter observatur, ob debilitatem motus peristaltici adauctam, segnitiem eius inducat, in illis scopus præfixus

xus ſæpe æque feliciter obtinetur, ſi per aliquot hebdomades quotidie drachmam dimidiam vel integram ſacchari lactis, neceſſaria tantum copia infuſi alicuius theiformis, vel iuſculi calidi, dilutam capiant.

§. XII.

Quodcunque tamen ex ſaluberrimis his remediis propinetur, illud ſemper eo præſtantioris efficaciæ erit, ſi in illis ægris, in quibus ex tuſſi & dyſpnoea concurrente pulmones non ſatis integri ſuſpicantur, uſus conſervæ roſarum rubrarum quotidianus cum cura ſeri lactis vel ſacchari lactis combinetur. Hoc enim remedium ſuavi analeptica & tonica virtute non ſolum reliquis partibus ſolidis robur amiſſum ſenſim reſtituit, ſed etiam pulmonibus ſpeciatim nimiam laxitatem tollit, expectorationem promovet, & tranſitum ſanguinis per vaſa pulmonalia iuvat, ac incipientem pulmonum exulcerationem, dum modo nondum nimis profunda ſit, conſolidat.

§. XIII.

Cum iisdem vero remediis diluentibus, temperantibus, blande nutrientibus, & analeptis ad tertiæ indicationi ſatisfaciendum cortex peruvianus eo magis coniungendus eſt, quo manifeſtius eius virtus balſamica, reſolvens & roborans a primi ordinis Medicis non in ſimplicibus intermittentibus ſolum febribus, ſed in ipſis

 con-

continuis & lentis quoque p) comprobata, & extra dubita-

p) R. MORTON Pyretolog. Cap. 7. & 8. p. 131. & feqq. efficaciam corticis Peruviani, in febribus continentibus, quales ipfi funt continuæ, feu continuæ remittentes, tempore remiffionis dati, extollit. FR. TORTI Therapeutic. Special. circa febr. periodic. perniciof. Libr. III. Cap. III. p. 209. in febribus fubcontinuis, feu quæ ex intermittentibus ad continuas tendunt, non folum, fed Libr. V. Cap. V. p. 41. in ipfis febribus lentis & puerorum hecticis, ex intermittentibus ortis, corticem commendat. R. MEAD Monit. & præcept. pract. p. 29. & feqq. in febre lenta pulmonali, periodice recurrente, dummodo pulmones nondum exulcerati fint, corticem laudat. APINVS de febre epidemic. Herfpruccenf. in præfatione declarat, fe ad hoc opufculum fcribendum ab ea potiffimum cauffa impulfum fuiffe, quia crebra experientia cognoverit, corticem Peruvianum in continuis non minus felicem, & quod plus fit, utplurimum fenfibiliorem præftitiffe effectum, quam in ipfis intermittentibus. Idem p. 87. & feqq. extractum corticis Peruviani, ipfi Lyxipyreticum dictum, in eiusmodi febribus maximopere laudat ac p. 243. & feqq. illud non minus proficuum, quam pulverem corticis pronunciat, in quo utroque momento experientiam Præfidis huius Differtationis repetitam confentaneam habet. Pagina vero 229. ipfiffimam febrem petechialem, cortice Peruviano in tempore fanatam, refert, in qua re confentientem habet I. HVXHAM. libr. cit. p. 96. & DE HAEN ration. medend. Part. III. p. 50. & feqq. & Part. IV. p. 4. & feqq. qui ambo fummi viri pluribus Obfervationibus propriis corticis Peruviani in hoc quoque morbo

bitationis aleam posita est, experientiaque propria unicuique, hoc remedio apte utenti, illam tot exemplis confirmat, ut actum ageret, qui in illa uberius deducenda multum operæ fundere vellet. Quilibet enim tunc deprehendit, quod vel paucis tantum huius medicamenti dosibus propinatis, febris a pristino in actiones vitales reliquasque impetu statim insigniter remittat, pulsusque arteriarum, qui antea debilis erat, nunc insigni robore & elatere micet, animus ægri, antea deiectus, pristinam resumat fiduciam, redeat somnus, vires ægri plus, quam omnia alia reficiens, ac propter robur & elaterem cordis ipsius egregie adauctum, totumque circuitum humorum nunc æquabiliorem & vegetiorem redditum, secretio partium sanguinis corruptarum a sanis, ac illarum per excre-

bo efficacitatem confirmant, & quod ille petechias retrogressas salutari eventu iterum expellat, quod procul dubio efficit virtute sua tonica robur cordis & arteriarum augens, adeoque propulsionem humorum ad arterias capillares cutaneas adiuvans, virtute vero balsamica sua putredinem illorum corrigens. Illustr. WERLHOFIVS Observ. de febrib. pag 61. continuas omnes, ubi notabiles longasque satis habent remissiones, sanare corticem Peruvianum rite exhibitum dicit, modumque operandi huius medicamenti p. 256. & seqq. omnium optime exponit. B. ELLERVS Observation. de cognosc. & rit. curand. morb. præcip. acut. p. 129. in declinatione febrium catarrhalium malignarum roborandi scopo corticem Peruvianum laudat.

toria organa nunc longe perfectius fiat, totusque morbus denique longe felicius ſanetur, quam ſi absque hoc cortice curationis negotium tentare quis velit. Vt de eo nihil addamus, quod per virtutem balſamicam, quæ in parte reſinoſa q) huius corticis potiſſimum reſidet, putridum ſanguinis ſpeciatim corrigatur, mutatioque harum febrium in acutas & inflammatorias, cum gangræna & ſphacelo viſcerum inſequente, ad quam ſatis pronæ ſunt, omnium efficaciſſime prohiberi poſſit.

§. XIV.

Quod ad modum adhibendi hoc remedium attinet, notum eſt, illum corticem in ſubſtantia datum longe efficaciorem eſſe, quam omnia præparata ex eo per vim ignis producta, qua propter in forma pulveris, mixturæ, vel electuarii ille in hac quoque febre omnium optime adhibetur, & quidem, ut in febribus intermittentibus omnibusque aliis morbis, quibus medetur, per ſe requiritur, doſi maiori, uſuque continuato. Idem effectus haud raro ſequitur, ſi cortex Peruvianus cum parte æquali vel dimidia

q) GEOFFROI Mater. medic. Tom. II. p. 185. reſinam fere quartam huius corticis partem conſtituere, docet, NEVMANNVS vero Chemiæ edit. Zimmermann. Tom. I. p. 687. pariter per experimenta chemica determinat, hunc corticem conſtare: 1. ex partibus terreſtribus, 2. paucis reſinoſis, 3. paucis gummoſis, & 4. paucioribus adhuc ſalinis, qui Auctor itidem in parte reſinoſa & amara præcipuam eius vim medicatam quærit.

midia, aut tertia flavedinis corticis aurantiorum combinatur, cuius ultimo nominati medicamenti vis febrifuga in febribus intermittentibus simplicibus se iam diu Medicis artem facientibus comprobavit, & in præsenti casu eo magis se exerit, quo insignior stomachi languor in ægrotis se manifestat, e contrario vero æstus febrilis moderatus tantum est. Si autem iste percipiatur intensior, nitrum depuratum, vel saccharum lactis corticis aurantiorum locum occupent. In subiectis cholericis & atrabilariis, in quibus bilis non minus viscíditate, quam acrimonia peccat, quorumque viscera infimi ventris infarcta videntur, rhabarbari, tertia vel quarta pars, cortici Peruviano addita, illum adhuc efficaciorem reddit, ac vi sua aperitiva & resolvente, quam in hepate præsertim exserit metum hydropis Ascitæ & Hecticæ potenter avertit, et cruditates biliosas, quæ fortasse in primis viis adhuc hærent, vel de novo collectæ fuerunt, secura ratione expellit. Idem rhabarbarum pari proportione & effectu cum pulvere corticis aurantiorum combinari potest, si opinio ægri præiudicata Medico non permittat, corticem Peruvianum exhibere, id quod in hac quoque regione adhuc satis frequenter accidit, licet maximi in illa Medici præstantiam corticis Peruviani publicis Scriptis iam diu demonstraverint. Non nocet quoque, sed potius sanationem egregie adiuvat, si usui corticis Peruviani in substantia, extractum eiusdem interdum interponatur, in forma mixturæ, ut APINO mos erat, vel in forma elixirii, & extracto rhabarbari

barbari, pro re nata, addito. Si vero exanthemata purpuro miliaria vel præcesserint, vel actu cum eiusmodi febribus lentis concurrant, rheo tantisper omisso, præter saccharum lactis pulvis bezoardicus Anglicus, vel quæ eius primarium ingrediens est, radix contraierva non sine bono eventu cortici Peruviano maritatur, ac transpiratione illibata servata, retrocessio exanthematum eo magis præcavetur.

§. XV.

Sicut vero in aliis febribus, ita in his lentis quoque nonnunquam observatur, quod cortex Peruvianus, licet efficacitate sua cuncta alia remedia antifebrilia vincat, tamen solus r) sanationem perficere, & recursum exacerbationum febrilium prohibere nequeat, ita hoc negotium sæpe felicius cedit, si corticis Peruviani quidem usu continuato, quavis exacerbatione febrili adpropinquante,

r) Sic MORTONUS Pyretolog. Exercit. II. Cap. 6. p. 43. & 44. fatetur, se aliquando febres intermittentes solo cortice Peruviano compescere haud valuisse, sed flores chamomillæ subtiliter pulverisatos cum antimonio diaphoretico & sale absinthii subiungere opus habuisse, & heic loci experientia quotidiana docet, febres intermittentes, præcipue vero quartanas, longe citius & constantius sanari, si præter corticem Peruvianum debito tempore propinatum, æger infusum florum chamomillæ per aliquod tempus quotidie bibat.

quante, ſtatim doſis pulveris, ex duabus partibus reguli antimonii medicinalis, & parte una ſalis alicuius digeſtivi, e. gr. tartari vitriolati amari Tacchenii, vel arcani duplicati conſtantis, propinetur, utpote quo remedio clar. Præſes tum olim in Wetteravia s), tum inde a 15. annis hic Helmſtadii & in vicinia eius tales febres non infeliciter ſanavit, exacerbatione febris nova, quæ imminebat, vel ſtatim emanente, vel tamen mitiſſime tantum recurrente, & poſt unam vel alteram huius medicamenti repetitionem penitus ceſſante, ita ut effectus huius reguli tam promtus ſit, quam ipſius corticis Peruviani, tam in his febribus, quam in intermittentibus t) licet niſi corticis Peru-

s) Sciagraph. Hiſt. Phyſic. Medic. Butisbac. eiusque vicin. p. 29.

t) Non ſatis æquus in præſtans hoc febrifugum eſt, inſignis alias Medicus & Practicus felix, I. S. CARLIVS qui in Diſſertatione ſua inaugurali de reguli antimonii Medicinalis analyſi Chemico Medica, ſub Præſidio Hofmanni Halæ ann. 1698. habita, Membro II. ubi de uſu eius agit, de virtute eius antifebrili non ſolum ſatis dubitanter loquitur, ſed etiam poſtea in Commerc. litterar. Norimberg. Ann. 1732. pag. 195. & alibi omnem eiusmodi virtutem febrifugam ei abiudicat, quum tamen experientia contrarium doceat, ipſeque dicto Diſſertationis loco plura præſtantiſſimorum Medicorum teſtimonia adduxerit, de hoc regulo longe melius ſententium, eiusque virtutem diaphoreticam & antifebrilem in febribus continuis acutis ipſis, præcipue ſi methodo Rollwagiana cum radice contraierva combinetur, extollentium.

Peruviani usus coniungatur, & per aliquod tempus continuetur, febris aliquando recurrat.

§. XVI.

In quibus vero ægris insignis ventriculi & intestinorum debilitas, crebrioribus doloribus cardialgicis & colicis, vel anorexia, frequentibus ructibus, dyspepsia, aut diarrhoea lienterica se manifestans, usum seri lactis excludit, in illis sanatio talium febrium lentarum sæpe æque feliciter succedit, si usus aquæ Pyrmontanæ cum exhibitione corticis Peruviani coniungatur, ita nempe, ut æger semel vel bis in die libram unam huius aquæ, per immissionem vitri in aquam simplicem calidam per quartam circiter horæ partem calefactæ, & aliqua principii sui spirituosi parte, & humores in ægro adhuc debili nimis commovendi virtutis privatæ, lente & pluries repetitis vicibus bibat, vel quoque tertiam vel quartam partem lactis calidi bubuli aut caprini addat. Ex partibus enim constitutivis huius aquæ mineralis u) cognitis & consideratis cuique in antecessum iam patet, quod præstantissimum hoc remedium pluribus medendi indicationibus necessariis satisfaciat, spiritu suo minerali, quo omnes reliquas aquas medicatas cognitas antecellit, cunctas sensibiles corporis humani partes blande stimulando, copiosiori-

u) SEIP de Aq. Pyrmont. Sect. IV. p. 160. & seqq.

ſiorique & vegetiori fluidi nervi affluxu procurato, illas inſigniter roborando, & propter eandem rationem circulum ſanguinis æquabiliorem reddendo. Grata vero aciditas, qua hic ſpiritus gaudet, nimiæ alcaleſcentiæ humorum, eorumque ad putredinem pronitati, quæ in eiusmodi febribus adeſt, egregie reſiſtit, & æſtum ac nimium humorum attritum moderando, nimiis ſudoribus, & inde ſequenti maiori virium debilitati, ad quos hic morbus pronus eſt, obicem ponit, ſicut latex tenuiſſimus huius aquæ partem ſanguinis nimis viſcidam optime diluit, & vitriolum martis tenerum & purum, quod ei ineſt, partibus relaxatis ægroti priſtinum robur eo efficacius reſtituit. Neque multum intereſſe experientia docet, ſive hæc aqua tempore æſtivo, modo dicta ratione, in uſum vocetur, ſive neceſſitate ita expoſcente ipſa hyeme, dum modo æſtate ex fonte nativo hauſta, & vitris bene obturatis conſervata, ac loco conveniente repoſita fuerit, & a contactu aeris externi ſecura reddita, utpote qua ratione illam craſin & vires ſuas diu retinere conſtat. Quorum vero pulmonibus ob peripnevmoniam prægreſſam, vel propter alias rationes, non ſatis fidi poteſt, in illis aqua Selterana, Pyrmontanæ ſubſtituta, illius vices interdum explet, utut minus efficaciter & tardiori cum eventu, quæ aquæ Selteranæ loco Pyrmontanæ adhibitio quoque neceſſaria eſt, ſi poſt unum vel alterum aquæ Pyrmontanæ vitrum aſſumtum cognoſcatur, vires ægri nimis debiles illius vim medicatam vegetam, qua in ſolida & fluida

corporis humani agit, nondum ferre, licet is nunquam morbo aliquo pectoris laboraverit, nec postea quoque tali corripiatur.

§. XVII.

Quod virium, quæ supersunt, conservationem & amissarum recuperationem concernit, ad quam indicationem sicut in omnibus morbis, ita in febribus lentis tam durante earum sanatione, quam absoluta ea, eo magis respiciendum est, quo celerioribus passibus hæ febres ægrotos debilitare solent, præter consueta remedia analeptica, inter quæ emulsiones amygdalinæ, gelatinæ cornu cervi, iulepi acidulati, & confectio alkermes incompleta, secundum normam Pharmacopoieæ Wirtembergicæ parata, reliquis palmam præripiunt, ex fonte diætetico potus diluens aquosus, iuscula tenuia, aliique cibi teneriores, ex regno vegetabili petiti, & febre penitus cessante, carnes animalium iuniorum, usùsque vini generosi medicus præcipue commendari merentur, moderamine simul pathematum animi vehementiorum & adversorum eo magis servato, quo magis ægri, febre quadam lenta laborantes, ad illa proni experientia comperiuntur. Postquam vero penitus convaluerint ægri, nihil præstantius pro pristino robore confirmando, recursuque morbi avertendo adhiberi poterit, quam si tempore anni convenienti potationem aquarum Pyrmontanarum, vel Selteranarum solennem instituant & quotannis repetant, nec venæ sectionem consuetam omittant.

§. XVIII.

§. XVIII.

Quod denique ad ſymptomatum graviorum huius febris mitigationem attinet, experientia conſtat, quod lentus eius & ſimul mitis plerumque decurſus raro talia coniuncta gerat, ſi inſignem virium debilitatem & agrypniam fortaſſe excipiamus, quorum vero incommodorum priori iam ſupra proſpectum fuit, ſi vero defectus ſomni ſimul ægrum adfligat, adeoque vires eius eo magis deſtruat, prudens emulſionum papaveratarum & liquoris anodyni mineralis Hofmanniani uſus, reliquis ſupra commendatis remediis, cauſſam morbi proximam tollentibus, interpoſitus, huic quoque malo debitam medelam adferet.

Cum TVA, lethiferos properat dispellere morbos
Febrilesque aestus arte fugare noua:
Cumque parare TIBI, festinat, digna laborum,
Vtque his orneris, praemia, Musa iubet:
Nostra quidem tenuis, tamen officiosa praecatur,
Munera et accipias deproperata rogat.
Incipe morborum, felix! pulsare cohortes,
Incipe laude frui, quam meruisse decet.
Fausta TIBI quaeuis veniant: TIBI nomen amicum
Conserua, atque Tuis semper, Amice! faue.

Viro praenobilissimo, atque doctissimo, FRIDERICO CHRISTIANO REVPSCH summos in arte salutari honores obtinenti, omnigenam felicitatem hisce apprecantur amici eius coniunctissimi

IOANNES PHILIPPVS DV ROI,
Brunsuicensis, M. C.
IOANNES CHRISTIANVS KOENIG,
Slesvico Cimber, S. S. Th. C.
IOANNES AMBDERS, Slesvico Cimber, S. S. Th. C.
CAROLVS CHRIST. GVILIELMVS BOVNSEN,
Arolsena-Waldeccus, Math. St.

Dicere cum, meritis tantis, mea Musa recusat,
Haud experta modos, carmina digna Tuis;
Quidquid erit Strenae, grato quod pectore promit,
Proque Tua accipias vota salute petit.

Viro praenobilissimo, experientissimo, doctissimo FRIDER. CHRIST. REVPSCH summos in arte medica honores capessenti, hisce gratulari voluit.

IOANNES GOTTWERTH MVLLER,
Hamburgensis, A. S. C.